

Franz Wolf


**Programma, Quo Rector Universitatis Rostochiensis, Franciscus Wolfius, Philosophiae Magister, & Log. P. P. Ad eundem exequias; Quas ... Wendulae Schlutowin Viri ... Dn. Danielis Lipstorpil U. I. D. quondam in Academia Regia Upsaliensi P. P: celeberrimi ... Cives Academiae ad unum omnes peramanter invitat : [P.P. sub Sigillo Rectoratus X. Iulii Anno 1674.]**

Rostochii: Kilius, [1674]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756285925>


Druck Freier  Zugang






Uiac  
orum  
regium.

Vol. 241. (3.) <SON>





PROGRAMMA, 31

<sup>Quo</sup>  
RECTOR

UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS,  
FRANCISCUS  
WOLFIUS,

Philosophiæ Magister, & Log. P. P.

Adeundum exequias;

Quas

*Fœminæ honestissimæ, omnique virtutum sui sexus  
apparatu ornatisimæ*

WENDULÆ Schlotowin

VIRI

*Nobilissimi, Amplissimi atque Consultissimi*

DN.

DANIELIS LIPSTOR-

PII, U. J. D. quondam in Academiâ Regiâ Upsaliensi P. P.  
celeberrimi, nunc verò Amstelodami Legationum Referen-  
darii longè gravissimi, conjugii,

MOESTISSIMUS VIDUUS & MATER

superstites

*Hodiè horâ primâ in templo Mariano paratas  
cupiunt*

Cives ACADEMIÆ ad unum omnes pera-  
manter invitat.

---

ROSTOCHII, Typis JOHANNIS KILII, Universit. Typogr.



On sine ratione solers Poëtarum industria Morti  
volatum, atrasque alas affinxit. Ita enim Horat. l.  
2. Satyr. 1. *Mors atris circumvolat alis.* & rursus l.  
2. Carm. od. 17. *volucrisq; fati tardavit alas.* Signi-  
ficare citra dubium voluerunt, incredibilem esse  
mortis celeritatem, eam imminere nostris cervi-  
cibus, ante etiam quam arbitremur, neminemq;  
ejus leges, aptet sibi licet pennas volucrum, evitare & effugere  
posse. Atras vero fecerunt alas, colorem tristitiæ luctusq; indicem  
denotaturi, cum plerumque discessus hominum ex hac vitâ con-  
sanguineorum amicorumq; pectora summi luctus acerbitate per-  
tentare, tristitiâ obnubilare & in lachrymas veluti resolvere soleat.  
Equis enim, penetrante se ad plures, quem arctiori necessitudinis  
vinculo sibi adstringere voluit Natura, è genere sicco cculo, ut lo-  
quitur Comicus, pumiceos habeat oculos, qui non queat lachry-  
mam exorare, ut exspuant unam modò? qui non imitamentis sal-  
tem tristitiæ dolorem mentiatur? Celeritate illâ quid rapidius;  
volucris est perniciosior, ventum navesque longo post se intervallo re-  
linquit. Conscendas licet caput inter nubila condentes turriû sum-  
mitates; Enitaris in præruptas montiû altitudines; Abscôdare in i-  
mis terræ visceribus; confugas in munimenta inexpugnabilia, ad  
quæ omnis hosti aditus interclusus, aufugas in extremos mundi  
angulos, semper à latere hærebit mors fidus Achates, nec latum  
digitum à te discedet. Quod Poëta de tumultibus mentis curisque  
canit, omnium optimè in mortem quadrare potest: *Scandit ex atas  
vitiosa naveis Cura: nec turmas equitum relinquit, ocyor cervis, &  
agente nimbo ocyor Euro.* Horat. l. 2. Carm. od. 16.) Neque est, quod  
quispiam se ab hac conditione exemptum putet. Quid enim?

*Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas,*

*Regumq; turreis l. 1. od. 4.*

*Omneis*

*Omneis una manet nox.*

*Et calcanda semel via leti.*

*Mista senum ac juvenum densantur funera. Nullus*

*Sæva caput Proserpina fugit. l. 1. od. 28.*

Mors neque improbos despicit, neque bonos admiratur, sed sese omnibus æqualem præbet. Non pietas ullam morti indomitæ affert moram. *Dives ne præco natus ab Inacho Nil interest, an pauper & infima de gente sub dio moreris victima nil miserantis hostis. Omnes eodem cogimur: omnium versatur urna: serius, ocyus, fors exitura.* Evidens experientiæ testimonium verba sufflaminat. Ubi tot invicti Marte Imperatores? Ubi quos Roma admirata ad cœlum laudibus extulit Triumphatores? Ubi tot ingenii laude per ora doctorum volitantes Viri? Omnia putredo, fœtor, cinis, pulvis. Hanc cum certissimam impendere omnes sciant, metu tamen ejus exanimantur, & moriuntur antequam moriantur. Legimus metum mortis festinam juveni caucitudinem unica nocte accelerasse. Nunc terrent animum foetidæ dilabentis naturæ reliquiæ, nunc ossa corrodenda: vivū etiā pectus arrodunt & lancinant: Nunc deformis pulchritudinis aspectus, illicū oculorū fuga, Eminentium pupillarum foveæ nasi elegancia deformata, flagrantia labiorum foetida, lurida rosei oris facies, non mediocrem formidinem incutiunt, naturaliq; animum constantiā planè exarmannt. Si forte sibi subjiciant, quidum nunc cibum summant, mox sint sumendus cibus à vermibus, panico terrore attonitos edaceis depascuntur curæ. Ita Mors illis omnium terribilium terribilissimū. ejus metus inter omnes timores antiquissimus. Longe vero alia animo sessura esset sententia, si oberrantes in exteriori mortis larva oculos animosque ad interiora contemplanda avocarent. Ipsi saniores Ethnici æ qui oribus oculis intuiti sunt latitantia sub personā mortis commoda. Menander, tempus hominum nudinas esse putat solennes & populosas, in quibus magna turba, fures, alex, colloquia, unde qui primus abierit meliori diversorio sit excipiendus. Euripides melius judicat non vivere quam vivere. Pyrrhon inter vitam & mortem nil interesse ajebat, & cum interrogaretur, cur igitur tu non moreris? quia nihil interest, respondebat. Epictetus longiori sed deteriori

(2

bre-



breuiorem sed meliorem vitam ab omnibus omnino preferendam esse iudicat, τὸ θάνατον κακῶν μέγιστον φάρμακον νομίζεσθαι Mors malorum maximum existimatur remedium Euripides. Mors omnium mortalium portus est, Sorades. O mors, ne quaeso patiar repulsam, quo minus ad Te veniam; tu sola malis incurabilibus mederis, & nullus dolor sequitur mortuos, Æschylus. Quid Thraces? nonne Herodoto teste, hominem fato functum per lulum atque lætitiã terræ demodant, referentes quot malis liberatus in omni sit felicitate. Et quorsum multa? Vita nostra peregrinatio, laborum mare, sollicitudinum ilias, hominis eqvulus. Corpus nostrum custodia carcerque animæ, sentina malorum, sarcina longe gravissima. Mors contra janua ad patriæ sedes beatas, statio & quies gratissima, læta denique catastrophe & dimissio. Morte liberatur è vinculis anima, morte exantlantur malorum confluxus, morte denique onere suo levata ad superiora evolat anima. Mors dolorum solutio & finis, vitiositatis expletio, victoriæ consummatio, securitatis ingressus, coronarum principium, bonorum initium. Quæ si Ethnici, quæis fide divinã non constitit, qualis nostra post fata sit futura conditio, quã visione, quo amore, quibus gaudiis, quibus bonis, qua conversatione simus perfruituri, quid illorum fuerit partium, qui longe eminentioris sortis non tantum quotidie illa oculis auribusque usurpant, sed etiam firmissimis Dei promissionibus, per tot secula tot hõminum comprabaris testimoniis nituntur, quorumque animis ipse Sp. S. instillat & obsignat spei hujus immotam fiduciam? At enim vero ad mortis nomen tremimus, cur ita, nescimus. Pueris certe haut multum absimiles, quos larva Manduci terret, tantoque attonitos reddit metu, ut nequidem sedari possint. Sunt enim ignari, quid in recessu habeat formidolosa illa Persona, post ubi ad maturiorem perventum ætatem, se ipsos rident. Mortis formido nostræ incitiæ, saniorisque iudicii defectus indicium. Quid quæso dulcitudinis fucata vita præsens promittit? ecquid voluptates? sed hæc umbra, ventus, bulla, vanitates. Honores, divitiæ, & alia quæ admirantur, homines, magno labore & molestiã acquiruntur, majori possidentur, maximo amittuntur. Amici sæpe inimici, quantum ex ipsis suavitatis tantumdem percipias fellis. Libero-rum fortè, felix proventus edulcabit vitam? At illã dulcitate sæpe nihil est amarius. Voluptas carissimè empta per multos labores, per varias curas vigilatasque noctes in illis educandis insumptas, momento perire solet, ante etiam quam tres quatuor-ve remeantes viderint Soles. Sed quorsum noctuas Athenas? quid Soli lucem? Vidit & experta est piè nostra defuncta celeritatem mortis. Per tot locorum interposita intervalla, per tot interjecta maria, eam pernicibus alis insecuta est, donec tandem ipsi atras manus injiceret. Ferebatur desideriis videndi matrem, properabat in patriam, tendebat in optatissimos matris amplexus. Vix explevit desideria sua, & ecce ipsa desideratur. Videre suos voluit, dum videt, videre desinit. Matris amplexus pe-  
tit,

tit, & terræ matris sinu excipitur. In patria demum patriam suam invenit.  
Gratulamur tibi piè defunctæ ex animo de feliciter superato itinere. Patriæ  
tuæ delicia, quibus nunc satiaris & affluis, sermones, quos cum beato Paren-  
te socias, haut scio desideria tua huc ad matrem, maritum & liberos ablegabunt  
illorum potius ad te vocabunt, parilibus tecum perfruitura bonis. Interea ulti-  
mum tibi vale adclamant, absentes, præsentibus iusta tibi indicto funere persol-  
vunt, terram levem, exuviis tuis placidam analysin, tutamque quietem medullitis  
apprecantur. Nostrum fuerit studia nostra & vota illis jungere. Interea verò  
pro more apud nos recepto illa memoriæ piè defunctæ & honori ultimo heic ve-  
niunt subiungenda, quæ ex relationibus illorum, quorum pars & portio cordis  
fuit, ad nos pervenerunt. Natales suos debet parentibus honestissimis. Nata hanc  
lucem adspexit Anno à Christo nato M DC XXXIV. die Decembr. XXXI. Pa-  
trem habuit virum Præstantissimum & eximium Dn. HENRICUM Schlotow/  
civem, mercatorem & cerevisarium quondam hujus oppidi laudatissimum;  
Matrem vero matronam virtutibus sui sexus decoratam WENDULAM West-  
phals. Avum paternum agnovit Dnm. HERMANNUM Schlotow/ civem & ce-  
revisarium hujus civitatis primarium; Aviam vero paternam Eilsche Grieten/  
matronam quondam virtutum foeminearum concursu fulgidissimam. Avo ma-  
terno inclaruit viro summè Reverendo, Amplissimo & Doctissimo Dn. M. JOA-  
CHIMO Westphal/ Pastore quondam ad ædem Dominicam S. Jacôbo conse-  
cratam meritissimo, & Ecclesiarum Rostochiensium Superintendente gravissimo.  
Aviâ, vero materna MAGDALENA Krauels/ foemina honestissima Dn. JO-  
HANNIS Krauels/ civis quondam hujus urbis optimatis, & matronæ, ANNE  
Rölers/ faminz pariter probitatis & pietatis non mediocris, filiâ. Hi fuere, quæ  
suam Majoribus nostra in Domino defuncta originè debet, quorumq; virtutes æ-  
mulari, & laudatissima vestigia premere ut potuit, ita semper ad laboravit. Quam-  
primum vitæ hujus usurâ perfrui concessum, Parentes ejus supra laudati, dum me-  
moriâ repeterent & hanc suam peccato originali contaminatam, foedereque Dei  
exclusam, hanc lucem adspexisse, suarum meritò partium esse existimarunt, ut in  
foedus gratiæ divini recepta, sua non tantùm, sed & Dei filia, hæresque regni cœ-  
lestis bonorumq; per Christum partorum redderetur. Omni ad eò ope id egerunt,  
ut sanctissima Baptismatis unda reatus peccati ablueretur, & sic Christo veluti ma-  
ritæ arbori inlereretur. Semina pietatis, virtutumq; in illum sexum quadrantium  
cum ipso lacte statim materno ad interiora admisit, quæ calefacta, identidemque  
variis exhortationibus perfusa non obicura subsecuturæ copiosæ messis indicia dis-  
fuderunt. Spem illam Tenera etiam ætas vix disciplinæ capax excitavit, dum scho-  
lis adsveta pietate, probitate, reliquisque quæ sexus muliebris ornari poterat  
virtutibus, strenuâ parentum curâ, innutriebatur. Nondum equidem deci-  
mum quartum ætatis suæ annum morientem viderat, cum jam amantissimum  
sui Patrem emortuum desiderabat, lugebat. Inde matris cura, sollicitudo-

):( 3 que

que geminabatur, patris officio in ipsam simul derivato, Diminuebat verò ad obsequia paratissimus piè nostræ defunctæ animus; usque enim adeo cum ipsâ virtutum fructus adoleverant, ut quotidie novis incrementis matris vi-  
dua tranquillarent & exhilararent curas, hinc tanta in matrem effulgentem  
Obedientiâ ut ne quidem verba vel gestus obstinata proderent sparge-  
rent vementis vestigia, illinc paratissimæ opis & rei familiaris levamenti præsen-  
tissimo coruscante affectu. Splendore & admiratione harum virtutum non tan-  
tùm domestici quotidie, sed & alii perfundebantur; ita virtus non latet, sed un-  
diquaque radios suos diffunden- do admirabili fulgore sese cordibus homi-  
num insinuat, cunctosque admiratione in sui amorem non tantum pellicit, sed  
rapit, cogit. Viderat virginis hujus virtutes Vir Nobiliss. Ampliss. & Consultrissi-  
mus Dn. DANIEL LIPSTORPIUS, U. J. D. pascebatur earundem contempla-  
tione admirator animus, illicò habebat, Captus erat, grata liber antea de-  
finebatur compede. Nec furtivus per varios labyrinthos oberrabat amor  
recta rem aggrediebatur via, facem prælucète honestate, movente formosa virtu-  
tum facie, in intrinsicis calcari- bus subdentibus desideriis, eam ritè sibi desponsandam  
votis omnibus contendebat. Orator accedit, exorator recedit. Tandem Anno  
MDC LVIII, mense Majo votorum suorum apicem conscensurus solenniter nup-  
tias benè, fortunante Deo, dicente Sacerdote & congratulantibus amicis celebrat  
Quanta felicitate in itum hoc matrimonium contrahentes beatit, verbis non adse-  
quor. Una duobus corporibus rectrix præsidere videbatur anima ita ad nutû & vo-  
luntatè mariti vota nostræ defunctæ actionesq; componebantur. Non potuit non  
conjugii hujus felicitas omnium bonorum confluxu longe ditior & affluentior  
reddi. Finis ipse omnium matrimoniorum erubescere quasi videbatur, nisi deside-  
ria horum conjugum latè prole expleret. Trium adeò liberorum parentem fecit  
Dominum conjugem, duorum Filiorum, in spem nominis & feræ posteritatis, pro-  
genitorum, quorum natu major DANIEL, minor HENRICUS paternarum vir-  
tutum æmuli & hæredes superant, matrisque abeantis funus suspicitorum & lara-  
gi fluis lachrymarum imbribus humectant; & unius filiae CHRISTINÆ WEN-  
DULÆ, quæ tamen, dum in tenerâ statim ætate, antequam etiam tres viveret  
hebdommadas immaturâ morte extinguitur, illa, quæ oriens vota & spes excitave-  
rat occidens simul extinxit. Vitam, quamdiu fuit, homine, quin fidele & vivo  
Christi membro dignam semper vixit. Fidem in baptismo accensam pro virili fo-  
vit, ex verbo Dei larga alimenta ei subministravit, si forte huic se lumini nubes ob-  
tenderet, id operam dedit, ut discussis tenebris pristino, si clariori nequireret, restituere-  
retur nitore. Si aliquando, quæ humana imbecillitas, labebatur, pœnitentiâ facti ducta  
è diverticulo in viam Sp. S. gratia revertebatur. In preces effusa se suaque divinæ  
clementiæ identidem commendabat. Virum, tanquàm caput, debito reverentiæ,  
amoris intemerati, promptissimique obsequii cultu prolequuta est, Quid dicam  
de egregia, qua usâ fuit erga omnes comitate? quid de beneficiis quibus plurimos  
sibi

fibi devincire voluptas fuit? quid de liberalitate insigni, cujus fontes nulli præclusi, omnibus patuerunt. Verbo divino patulas non tantum aures, sed & cor præbuit; audita memori mente reposuit, reposita in succu penitentiæ & sanguine m; convertit, adeo ut quacunq; oblata occasione è promicondo pectore concedita repetere, & pro ut necessitas efflagitabat in rem præsentem adducere & accommodare posset. Inde tot stoluli selectiores languentem sæpe erexerunt, totalexipharmaca felicissimo eventu morbis animi adhibita, tot consolidantia dissipatas fractasque calamitatibus vires roborantia. Vanitatum hujus seculi contemptor foemina inerat animus; altiora anquirebat, anhelabat, aliis interea ad pastum & fastum abjectis. Hypocriteos Vatiano magis odio detestabatur involvulum, verbosa humanitati, cui sæpius titubantibus verbis & pedibus liberalissimè indulgetur, valedixerat. Corporis gestus ad mimicam gravitatem compositos, nutusque pumice velut ex politos averfabatur. Observabantur quotidie inlustriori & celebriori degenti in loco, Europæ emporium dixeris, mercati vultus, ossa exornata; coctæ siliiginis ossa, pingvia Poppæana, Mangonia, picturis interpolatæ facies, adulterini crines, homines toti de capsula, viventes ambulantesque tabulæ. Ceterum tantum ab his offuciis nostra abfuit, quantum illa omnia à regno Cælesti abesse secreta æstimatione pensabat. In propriis membra voluit nitere bonis. Purpurissatas buccas, conditasque mortali arte manuque genas calcatū sæpe pudorem prodere noverat. Unus illi rubor placebat, quæ gigneret pudor, unus ille candor, quæ pareret abstinentia. Insigni præterea moderatione animi abhorrebat à crebriore vestitiū mutatione. Ricas patagiatas, quæ capita ædificari solent, nebulas lineas, & alia sarmata, quæ indui solent ex polita libidinum victimæ susque deq; habuit. Satius & homine Christiano dignius semper arbitrata est, si in suum Salvatorem Jesum Christum, ejusque meritum & gratuitas promissiones divinas, de remissione peccatorum, vera fide pulchre ornata foret. His vestibus gavisâ, hoc ornatu superba omnes totius mundi divitias spernere, voluptates contemnere, delinimenta illecebrasq; despiciere didicit. Ita vixit Deo, sibi, & proximo, Cum natali filii junioris morbus ipsi fatalis suos simul habuit natales. Vix enim enixa erat, cum extremis infirmitatibus detenta languescere incepit. Templum equidem puerpera salutare denuo potuit, sed recidivam illico passa. Ingravescentibus morbi & bellorum tumultibus Amstelodamum Hagâ Comitum concedere coacta omnem medicorum, medicamentorumq; opem virtutesq; nequicquam sollicitavit. Cumq; per biennium irata hygiea vitam tolerasset Matris tacta desiderio, num forte apud illam remedia morbo pellendo idonea, iter ingreditur, variisq; superatis difficultatibus & periculis tandem & abhinc hebdomadis apud nos appellit, inque ipso portu vitæ naufragium facit. ceterum quæ morbi facies longe felicius ipsius Dni. Medici, Viri Nobiliss. Ampliss. atq; Experientiss. Dni. JO HANNIS JACOBI DOEBELII, Medic. D. & P.P. longe celeberrimi, Fautoris Collegæ & Amici nostri honoratissimi verba delineabunt; ita vero ille: *Biennium est, & quod emcurrit quantum ex Relatione habemus, quo beate functa D Omina Lipsorpiana apud Belgas, ex Puerperio, in Menocrypsiam incidit, totalemq; atrophiam, Et tantum confestim Virum sumserat*

malum; ut vel eo jam tempore omnis reconalescentiæ spes videretur decollasse, reasumptæq; postmodum ex parte vires nequicquam crederentur resituisse novæ principium nutritionis. Ad hæc Continuitatem Corporis occupabemus fistula horrenda, Consistentiam & Texturam flacciditas, & pro locorum natura inflatio; sanguinem, Phlegma; ut, cum ante aliquot ad Nos septimanas, sive mutandi æris squalidioris sive visende matris modò mœstissimæ gratiâ, Amstelodamo appelleret, tota SCORBVTICO-ASCITICA deprehenderetur. Vocatus à Matre, hæud diu ante ex Morbè quasi Mortisq; faucibus hætenus ereptâ, ne Prognosi soli relinquere filiam dilectam, cum Prognosi quidem subinde aliqua præcepi: sed eventu, ob diuturnitatem sævitiamq; morbi non alio, quàm quo hæc nobis imponitur necessitas scribendi, qui, nisi & de adversis à Deo immisissis, nobis esset gratulandum, & in ipsa Morie essemus Dei; magis doleremus beatè hisce diebus functam, relictis & Marito junctissimo, & Matri piensissime, & pari filioru magne spei jucundissimo Omnis solaminis, gratiæ, & benedictionis spiritum apprecantes. Cum verò vis morbi ultima quæque minitaretur, desiderii incendeatur percipiendi in fidei suæ augmentum Sanctissimū J. Christi corpus pro nobis traditum sanguinemq; effusum. Nec mora, precibus adeunt Virum summe Reverendum Ampliss. atque Excellentiss. DN. HENRICUM MULLERUM, SS. D. & P. P. undiquaque celebratissimum, & Superintendentem Ecclesiarum nostrarum gravissimum. Annuit ille, adproperat. Ex templò peccata sua agnoscit, profitetur, detestatur, fide in Christum se erigit, vitæque sanctioris, si Deus ipsam superesse voluerit, studium pollicetur. Fit voti compos remissione peccatorum annunciata fatiscentem cibo & sanguine spirituali refocillat, verbisque ad rem facientibus aculeos & solatia emoriienti pectori immittit. Hinc planè terrenorum pertæsa aliquotiens dissolvi cupiit & esse cum Christo. Nec frustra. Placidâ quippe analysi, ipsis Calendis Julii anni currentis abiturientem animam ad sedes quietas & gaudia cœlestia Jesus totiens invocatus evocavit, cum annos implevisset 39, sex menses & aliquot hebdomadas. Deus fons solatorum in exhaustus lugentium pectora largissimis consolationibus inundet. Mœstissimum Dominum Viduum erigat; Matrem filix funus acerbè desentem foveat, recreet efficacique solamine perfundat. Filiis superstiantibus Sp. sanctissimi gratia sit præstò, curam matris gerat, eos ducat & educet, regat, confirmet, ut in vidui mœstissimi, aviæque desolatæ delicias & gaudia adolescant. Quod reliquum est ad vos, Cives Academici omnium ordinum vestris titulis conspicui, mea sub finem se convertit oratio; Vestram ex pertura humanitatem, benivolentiamque erga pie defunctam, & mæstissimum viduum matremque, vos invitat ut frequentes exequias ire, præsentis vestris decus & solamen addere, ultimumque humanitatis officium persolvere ne gravemini. Agite igitur, confluite & mori ex hujus morte discite. Hodie huic, cras forte nobis. Valetè.

P. P. sub Sigillo Rectoratus X. Julii

Anno 1674.
















the scale towards document

Image Engineering - Scan Reference Chart TE263 - Serial No. 09A  
Patch Reference numbers on UTT

ges ac Principes sæpè attoniti audivere : Sua-  
minentis vim , non secus ac Demosthenici  
petum imperij Proceres sæpè sensere. De  
non tantum privati, sed & publici partibus,  
inis forma, de religionis purioris vindicijs,  
ibus rectè instituendis, litium prolaxis telis  
ad publicam salutem conservandam necessa-  
ovellorum nostri ævi, novas Utopias somni-  
lut alter Sulpitius, studio, usu, experientiâ, &  
sed & archivis actisq; publicis haustâ scientiâ  
planè lepore differebat. Deniq; Encomio Lucij  
storû disertissimû & oratorû jurisperitissimû  
t. Accedebat naturalis cum decenti venustate  
ta gravitas, in divino cultu pietas, in homini-  
s, in negocijs expediendis dexteritas, in adver-  
peris continentia, in fortunæ instabilitate  
quâ bonæ conscientiæ scuto munitâ, omnes  
umniarum, invidiæ & livoris ictus ac morsus  
repulit. Aulicis negocijs gravibusq; causis  
& occupatissimus fuerit, semper tamen  
in respexit, ejus ut quondam alumnus, ita  
as defensor, imò & excultor perpetuus fuit.  
oz. viro consultissimo Joanne Albino, pandectarum Pro-  
bente, eidem in officio susceptus & in collegium Juridici  
us fuerit; præstitit se quoq; in hac vitæ statione fidum  
siones crebræ, publicæ curæ & molestiæ, eum aulicos &  
iri & Labeonis Jcti exemplo annum quasi cum labori-  
quibus tamen cum sensum nimis irretiri & aulæ astringi  
caria viri consultissimi Christiani Obmichij J. D. exitij,  
demicum sibi creditam, luculenter fœneravit. Virtuti-  
n adversus affectuum motus, & adversitatum impetus  
mavit, seq; invictum reddidit : ast à morbis corporis se-  
otius quò animo fortior, eò semper fait corpore debiliore  
um in itinere quodam officij ratione suscepto, correptus  
ti initio typum tertianæ simplicis gessit, ita non multò  
sentavit, & in ædis inducijs indultis, majori paulò post  
ruans, incrementum sumpsit, in quartanam degenerans,  
Accesserunt lienis & mesaræi obstructiones, & quart-  
ples scorbutus, perennis itidem à capite ad fauces & pul-  
alcens indelinens tussis, cujus vehementia, venula pul-  
monum